

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

De Divina Psalmodia, Ejusque Causis, Mysteriis, Et Disciplinis, deque variis
Ritibus omnium Ecclesiarum in psallendis Divinis Officiis, Tractatus,
Historicvs, Symbolicvs, Asceticvs. Sive Psallentis Ecclesiae Harmonia -
Opus novum, & curiosum, ac multiplici eruditione illustratum ... Operum ...

Bona, Giovanni

Parisiis, 1678

§. 1. Varia nomina Horarum Canonicarum explicantur. Cur divina mysteria
symbolis & allegoriis occultarint antiqui.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9929

26 DE CAUSIS INSTITUTIONIS

evulgatae scriptiones id evidenter ostenderent. Psalmodiam igitur nihili aestiment fideles, quae maximas Dei laudes continet, nostrae Religionis arcana commemorat, contemplationem nutrit, gignit amorem, perfectam orandi formam exercet, dæmones fugat, legitificat Angelos, delicias spirituales subministrat, & quamdam in terris cœlestis gloriae felicitatem representat. Væ retroactis seculis, quæ istos Theologos non tulerunt, ut admonerent Ecclesiam, ne tot cantibus, & prolixis precibus fatigaretur. Sed parco verbis. Latitant, quia male agunt, adversarii. Nolo ego cum larvis, aut instar illius Cyclopis apud Homerum cum nemine luctari. Porro de ortu, & excellentia sacro sanctæ Psalmodiæ jam diximus: nunc dicendum, quæ causæ à sanctis Patribus assignentur, ob quas certæ horæ ad psallendum Deo fuerint institutæ.

CAPUT II.

QUIBUS DE CAUSIS CERTÆ QUÆDAM
horæ ad psallendas Deo laudes fuerint institutæ.

§. II.

*Varia nomina horarum Canonicarum explicantur. Cur divina mysteria symbolis & allegoriis occultarint
Antiqui.*

I. CERTOS hymnos, certaque rationem publicè laudandi Deum primi Patres Ecclesiæ divinum Officium nuncuparunt. Vocant enim officium Latinī idiomatis Professores, id quod quisque debet efficiere, habita ratione locorum, temporum, & personarum. Inde titulum de Officiis acceperunt libri tres Ciceronis, totidemque Ambrosii Prælulis Mediolanensis. Est etiam officium apud (a) Suetonium, honor, vel

a In Cesare.

obsequium : Assidentem , inquit , conjurati specie officii circumsteterunt. Dicitur autem officium una immutata litera ob decorem sermonis , quasi efficium ab efficiendo , ut notat (b) Ambrosius. Quia verò in divinis laudibus id omne continetur , quod nobis faciendum est erga Deum , easque statis horis persolventes debitum servitutis obsequium supremæ Majestati impendimus , ideo sub hac duplii acceptione Dei laudibus Officii nomen imposuerunt Antiqui. Alii horas preces cursum divinum vocarunt , vel à cursu solidis desumpto vocabulo; vel quia legendo , & cantando percurruntur. Sanctus (c) Columbanus Regule sue caput septimum inscripsit de Cursu : S. Bonifacius Epistola 17. Speciales horas , & cursum Ecclesiæ custodian: (d) Gregorius Turonensis , Exurgente Abbatore cum monachis ad celebrandum cursum : (e) Fortunatus Pictaviensis Episcopus in vita S. Germani , S. Germanus iter agens semper nudo capite cursum recitavit , etiam si nix , aut imber urgeret : Idem in carminibus :

Carmine Davidico divina poëmata pangens

Curibus asiduis dulce revolvit opus.

A Græcis officium Canon dicitur : (f) Basilius in regulis brevioribus ; Si quis non occurrat adesse canonis plasmodiæ : Jo. (g) Moschus in prato spirituali , post canonem , quod Latinus vertit post officium : S. (g) Antiochus , Psalmodia nostra canon appellatur : sicut agricola nisi suum canonem plenum , & bonum reddiderit , in carcerem conjicitur , donec integrum persolvat debitum , ita contingit monacho , si per oscitantiam sibi præscriptum canonem transmiserit. Dicitur etiam synaxis passim apud (i) Cassianum à verbo συνάγειν quod est colligere , seu congregare , quia ad psal-

b Ambros. de off. lib. 1. cap. 8. c. Columban. reg. cap. 7. d Greg. Turon. l. 1. de glor. Martyrum cap. 11. e Fortunat. reg. brev. 147. g Prat. sp. cap. 27. & 49. h Aretiech. homil. 105. i Cass. lib. 2. c. 19. & coll. 15. cap. 1.

Iendum colliguntur in unum, & congregantur Religiosi. Eodem sensu à S. Pachomio in regula dicitur Collecta: & in vitis Patrum narrat (K) Ruffinus pulsasse diabolum aliquando nocturno tempore ad ostium cellulæ Macarii junioris, & dixisse; Surge Abba Macari, & eamus ad collectam, ubi fratres ad vigilias congregantur. Et infra; Nulla sine nobis collecta agitur, nullaque congregatio monachorum. In Concilio (I) Agathensi Missa nuncupatur his verbis, In conclusione matutinarum, vel vespertinarum missarum, post hymnos capitella de psalmis dicantur. Ab alijs Psalmodia, Agenda, & Solemnitas dici solet. Sanctus autem (m) Benedictus insigni prænomine, vocat officium divinum opus Dei, opus nimirum, quod erga Deum devota mentis actione præstare debeimus; opus illud, de quo scriptum est, (n) *Opus justi ad vitam*: & alibi, (o) *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter*. Et quia majores nostri tempus, & horas, quibus prædictum Officium persolvendum est, Ecclesiasticis canonibus diffinierunt; ideo canonicas horas appellamus constitutis horis regulariter celebrandas. Quam institutionem non temere, non inconsulto sanctam secreiores causæ symbolicæ rationes, ac solis sapientibus revelata mysteria consercrarunt.

II. Visibilibus enim imaginibus ad divinas intelligentias pro virium nostrarum modo concendimus, teste Dionysio (p) Areopagita. Neque aliter fas erat infirmitati nostræ lucere divinum radium, nisi sacrorum varietate velaminum opertum, & his quæ nobis familiaria sunt vestitum, quia juxta Domini sententiam illicitum est proiecere ante porcos mundam, & luciformem venustatem invisibilium margaritarum. Negabat Plato secretiora mysteria ijs communicari debere, qui animo purificati non essent, ne immunda multitudo eo-

k lib. 2. de vitis PP. cap. 29. l Concil. Agathen. cap. 30. m S. Bened. reg. c. 41. & 47. n Prov. 10. 16. o Hiet. 48. 10. p Dion. Arcop. de Eccl. hie. cap. 1.

rum sanctitatem contraria , aut falsa interpretatione corrumperet. Hipparchus Pythagoricus , teste (q) Clemente Alexandrino , expulsus è Ichola fuit , quod magistri præcepta aperte scripsisset , eique tanquam mortuo columnam imposuerunt. Lysidis hac de re elegan-
tissimam epistolam ad ipsum Hiparchum refert (r) Beſ-
fariſon Cardinalis , eamque commemorat (s) Iamblicus .
Quot fabulæ , & allegoriæ ab antiquis fuerunt inventæ ,
ut earum involucro sublimiorem philosophiam occul-
tarent ? Metrodorus Lampacenus , de quo Diogenes
in Anaxagora , & Tatianus oratione contra Græcos ,
meminere , totum Homeri poëma ad allegorias traxit ,
quem Proclus , & Eustathius sunt imitati. (t) Strabo
autem libro primo Geographiæ adversus Eratosthenem
id evincit : idemque prudentissimus Scriptor (u) Plu-
tarclus , & (x) Leo Hebræus eroticus docttor , asseve-
rant. (y) Heraclides quoque initio libri allegoriarum in
Homerum , Si quis , ait , citra philosophicam contem-
plationem , & allegoricum sensum Homeri carmina ac-
cipiat , non aliud utique fuerit Homerus , quam Salmo-
neus , & Tantalus , intemperantia linguae , qui morbus
est turpissimus , laborans. Legendus item de hac re Por-
phyrii libellus de Antro Nymphaeum , quem Latinum
fecit vir clarus & abstrusiori sapientia singulariter
præditus Lucas Holstenius. Ænigmatum sunt omnia re-
ferta , inquit (z) Tyrius , tam quæ Poëtæ , quam quæ
Philosophi enuntiant : Quod enim humanae imbecilli-
tatis captus manifestè percipere non potest , ejus est fa-
bula modestior interpres. Heraclitus Ephesius , (a) ut
Laërtius testatur , librum de natura ex industria obscu-
rius scripsit , ne si à vulgo passim legeretur , contempti-
bilis esset. Dominus Jesus , cum esset sapientia æter-
na , loquebatur in parabolis ad turbas , & sine (b) pa-

^q Clem. Alex. lib. 5. Strom. ^r Beſſ. adv. calumn. Plat. lib. 1. cap. 2. ^s Iambli. de vita Pythag. lib. 1. c. 17. ^t Strabo 1. Geogr. ^u Plut. lib. de laud. Poët. ^x Leo dialog. 2. de amore. ^y Heraclid. lib. Allegor. in Homerum. ^z Max. Tyr. sc. 19. ^a Laërt. de vitiis Philos. lib. 9. ^b Matth. 31.

50 DE CAUSIS INSTITUTIONIS

rabolis non loquebatur eis, ne divina secreta passim omnibus paterent, & facile intellecta vilescerent. Scribit (*c*) Ignatius ad Trallianos, se abstrusiora illis non scribere: metuo enim ait, ne vim mysteriorum minimè capientes strangulemini. Sacra mysteria, inquit Gregorius (*d*) Nazianzenus, apud abjectos non sunt explicanda: idem enim est, ac si quis imbecillæ auri tonitruï sonum, & solei infirmis oculis, & lacte adhuc utentibus solidum cibum committat. (*e*) Rabbi Moyses Aegyptius in libro, quem Directorem perplexorum inscriptum, sive de dubiis perplexis veteris testamenti, docet sapientes prohibuisse, ne quis arcana legis patefaceret. (*f*) Nicetas in fine commentarii ad orationem 40. Nazianzeni, Fidei, inquit, mysteria, quæ magis recondita sunt apud profanos homines, tecta, & occulta habebis, atque inviolata custodies, non aliter atque ea, quæ impressa sigillo servantur. Ipsi Reges majestatem imminui, & vulgari olim putabant, ut verbis utar (*g*) Latini Pacati, nisi eos intra depositum palatinæ ædis inclusos, tanquam aliquod Vestale secretum, veneratio occulta consuluisset: nisi intra domesticam umbram jacentes solitudo provisa, & silentia latè conciliata vallasent. Solet nimis ignoratio addere rebus auctoritatem, ea que est humanæ mentis imprudentia, ut quæ palam exposita sunt minoris faciat, quæ abstrusa vehementer admiretur. Hinc (*h*) Phalaris Agrigentinorum Tyranus ad Ariphætum scribens; Opera tua, ait, & his quæ misimus, & longè majoribus præmijs digna sunt, mea autem perscrutari noli; nihil enim his potius, quam silentium ducimus. (*i*) Sinesius ex Philosopho Platonico Episcopus Catholicus vetustissimum institutum esse arbitratur sub vilioris argumenti specie, quæ sunt in philosophia magna atque præstantia dissimulare, ut neque quæ difficulter inventa sunt ex hominum memo-

c Ignat. epist. 5. *d* Naziar. or. 44. *e* R. Moyses lib. 3. cap. 1. *f* Nicet. ad or. 40. *Naz.* num. 51. *g* Lat. Pac. Drepanus in Paneg. Theodosii. *h* Phalaris epist. 16. *i* Sinesius præf. libri de insomniis.

DIVINÆ PSALMODYÆ. CAP. II. 51

ria excidant, neque in profanum vulgus edita depraventur. Fabulis autem veritatem occultare, inquit ^k Salustius Philosophus, insipientes prohibet, ne contemnant: studiosos ut philosophentur compellit. Narrat Julius (*l*) Firmicus, quod cum Orpheus sacrorum ceremonias aperiret, nihil aliud ab his, quos initiabat in primo vestibulo, nisi iurandi necessitatem, & cum terribili quadam auctoritate religionis exegit, ne profanis auribus religionis secreta proderentur: patiuntur enim hæc omnia jaæturam, cum perditis, & despe-ratis animis ingeruntur. Ideo Ægyptii in ingressu templorum, teste (*m*) Synesio, Sphinges collocarunt, ut admonerent mystica dogmata à profana multitudine inviolata custodiri debere. Nam nec lippiens oculus, ait (*n*) Isidorus Pelusiota, in solis orbem aciem defigere potest, & si eam defigat, frustra id agit: nec sordida mens sanctorum rerum quicquam utiliter perscrutari potest. (*o*) Ozias Rex, cum sacris rebus profanas manus iniijcere præsumpsisset, lepra percussus extra tempulum ejectus est. Gentiles quoque sacris arcere solebant profanos, ut Poëtæ passim ostendunt. (*p*) Virgilius enim sic canit:

*Procul, ô procul! este profani,
Conclamat Vates, totoque absistite luco.*

Et (*q*) Silius Italicus:

*Parcite pollutis contingere vincula palmis,
Et procul hinc, moneo, procul hinc quæcumque profanae,*

Titus quoque (*r*) Calphurnius:

Ite procul, sacer est locus, ite profani.

Ovidius item (*s*) in Fastis:

Innocui veniant, procul hinc; procul impius esto;

Et Statius Papinius in (*t*) Sylvis:

Procul hinc, procul ite nocentes.

^k Salust. lib. de Diis. & mund. cap. 3. Jul. Mat. Firmicus præf. lib. 7. Mathet. ^m Synes. de regno, & Pierius lib. 6. Hieroglyph. cap. 12. ⁿ Isid. Pel. lib. 6. ep. 304. ^o 2. Paralip. 26. ^p Virgil. 6. Aeneid. ^q Sil. Ital. lib. 17. ^r Calph. e. log. 1. ^s Ovid. 1. Fast. ^t Stat. lib. 3. Sylv.

Quod etiam pertinet illa Mimorum γραμμή

Sordere vis divina? vulgo fac palam.

III. Tā μυστικά ἀπό της μύεται, quod est claudere, vel
celare, dicta sunt, quod nequaquam revelari debeant
his, qui sacris non sunt iniciati. Omnibus autem myste-
riis silentii fidem alim adhibitam (n) Tertullianus in
Apologetico, & initio libri contra Valentimum demon-
strat. (x) Aristides in Eleusinio eos arguit, qui indignè
mysteria evulgant. (y) Apuleius in Milesiis, Sacris
pluribus iniciatus nostri, ait, sanctam silentii fidem.
Mysterium, inquit (z) Chrysostomus, est quod nemo
novit, quod est admirabile, quod est absconditum.
(a) Ambrosii sententia est, ineffabilibus mysteriis nul-
lam rem magis quadrare, quam silentium. Cui adstipu-
latur (b) Basilius sic scribens. Qui in primordiis Eccle-
siæ certos ritus præscriperunt Apostoli, & Patres, in
occulto, silentioque suam mysteriis servaverunt digni-
tatem. Sanctus quoque Joannes (c) Abbas Raythu
docet Climacum obscurè narrasse contemplationem,
quia noluit omnibus mysteria revelare. Qui verò ab
ethnicis admittebantur ad sacra, mystæ, ac mystici di-
cebantur: unde est illud apud (d) Clementem Alexan-
drinum, & Iulium (e) Maternum Firmicum, Jeju-
navi, potum confectionum bibi, de cista accepi, factus
sum mysticus. Nos autem ut mystæ evadamus, Iesum
prius invocemus, qui est vera lux, quæ illuminat om-
nem hominem venientem in hunc mundum, & sic per-
gamus ad contuendas pro viribus sacrarum precum in-
telligentias, pro ut illas à Patribus accepimus; & quas
illi nobis vel per signa, vel per intelligentiæ sacratioris
arcana tradiderunt, in quantum possumus, specule-
mur. Levemus velum, faciem Moysi revelemus, & in-
gressi sanctuarium videamus spiritum vitæ, qui est in

n Tertull. apolog. cap. 7. x Aristid. in Eleus. y Apul. lib. 3. z Chrys. ad Co-
loss. or. 5. a Ambros. lib. 6. de Sacramentis. b Basil. de Spir. sancto cap. 27 c 10.
Rayt. ad gr. 27. Climaci. Cl. d Alex. in Protreptico. e Iul. Mat. de enorib. pro-
fan. religionum.

rotis. Veniant qui altiori mysteriorum commercio digni sunt, & solutis terrenorum affectuum calceamentis accedant advidendum, & audiendum Deum: meminerint que scriptum, (f) *Secretum meum mihi: &c.*, (g) *In corde meo abscondi eloquia tua: itemque;* (h) *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Sed quo ausu occulta revelare potero ingenio pauper, affectu iners; nisi tu, Iesu bone, qui potes omnia, emittas manum tuam de excelso habitaculo tuo, & introducas me in domum tuam, in locum tabernaculi admirabilis? Dedeget enim, ut (i) Arnaldus Abbas scribit, corruptum incorrupta contrahere, & purificatoriis muneribus manum apponere impuram. Tu ergo, qui potes facere mundum de immundo conceptum semine, purifica me potenti illapsu gratiae tuæ, & clarifica me claritate interni luminis, ut supernæ tuæ lucis splendore perfusus, incerta & occulta sapientiae tuæ percipere valeam; sacrarumque precationum mysteria explicare. Græcorum quidem Scriptores, ait (k) Epiphanius, ubi fabulosum aliquod scriptum aggrediuntur, Musam aliquam invocant, non Deum. Nos autem invocamus sanctum universorum Dominum, ut adjuvet paupertatem nostram, & inspiret Spiritum sanctum suum, ut nihil adscitum in promissum scriptum comportemus, atque hoc ipsum petentes nostræ insufficientiæ nobis consciæ, juxta fidei mensuram, ac proportionem ipsum nobis largiri obsecramus.

METRVM III.

*Mystica sacrarum penetralia pandere rerum,
Atque adyton reserare poli, perfusa superno
Lumine mens gestit. Procul hinc gens vanarecedat,
Quæ residem, tetraque animum caligine mersum
Tollere nescit humo, scelerum devincta catenis.
Si nihil ad vestros cœli mysteria mores,*

f Isaïæ 24. 16. g Psal. 118 h i. ad Cor. 2. 6. i Arnold. de 7. verbis cap. 3.
k Epiphanius initio Panarij.

14 DE CAUSIS INSTITUTIONIS

Sanctaque religio, pietasque, & Numinis spectant
 Parcite pollutis hac scripta evolvere d' xtris,
 Parcite vulgus iners, diræ plebs conscientia culpa,
 Cui fixum stat corde nefas, quam vulnere fœdo
 In Bacchi Venerisque luem malus impulit error.
 Non hic obscuris rerum primordia pando
 Naturæ è claustris: non hic digesta per annum
 Tempora, non Thebas, non alti sidera cœli
 Concino diversos hominum variantia casus.
 Non freta fatidice primum sulcata carina,
 Non stygij raptoris equos, non posula Circes,
 Non clarum Æacidem, formidatumque noverca
 Amphitryoniadem, miseræque incendia Trojæ.
 Non refero hic varias subeuntia corpora formas,
 Non sylvas, viridesque plagas, Veneresque, jocosque.
 Hæc, percant, quicunque colunt. Mibi splendida ab alto
 Lux nitet, & divo jam cor perfunditur astu.
 Ecce Deus, Deus ecce venit, procul este profani:
 Este procul, nocuos procul hinc avertite vultus.
 At vos sanctæ anime, solidæ pietatis alumnae,
 Quas amor, & summi perstringit Numinis horror,
 Vos precor hic paucas perituri temporis horas
 Conterere, & mecum veterum vestigia Patrum
 Certa sequi. Dignas, Deus est, cui pangere laudes
 Legibus hic doceo sacris, quem justa per orbem
 Terra colit, celebratque polus, manesque tremiscunt.

§. II

Prima ratio institutionis horarum ex Divo Cypriano.
 Secunda ex Amalario Fortunato, &
 Honorio Augustodunensi.

I. **P**rimam rationem mysticam, ob quam horaria
 preces sunt institutæ, eloquentissimus¹ Cyprianus assignat his verbis. In orationibus celebrandis in-

¹ Cyprianus lib. sive serm. de orat. Dominica propè finem.